

ita ut ista propriis viribus relictis, ac propriis mediis naturalibus cognoscendi utens, illam visionem nullo pacto contingere possit. Potest vero per gratiam divinam.

Beatitudo perfecta. Status omnium bonorum aggregatione perfectus, ita ut omne malum excludatur, et impleatur omne desiderium.

Beatitudo imperfecta. Participatio beatitudinis perfectae secundum quod in hac vita haberi potest. Consistit quidem primo et perse in perfectione partis intellectivae, scilicet in cognoscendo Deo ipsamque amando; sed requirit insuper secundario bona corporis, i. e. ipsius corporis perfectionem, sine qua aut vix aut non omnino exercetur intellectualis operatio qua Deus attingitur, et bona exteriora, quibus qui caret otium non habet plene vacandi Deo.

Requiruntur item ad beatitudinem imperfectam amici, sive propter naturalem hominis in inclinationem, sive propter usum et conservationem bonorum exteriorum, et maxime virtutem excolendam.

Conditiones beatitudinis perfectae activae. 1a Quod tale sit bonum adeptum quod non possit ordinari ad aliud bonum consequendum: secus non esset neque summum bonum respectu voluntatis, neque ejus ultimus finis. 2a Quod non compatiatur secum aliquod malum; bonum enim et malum inter se opponuntur; unde non potest homo summum bonum possidere et simul affici aliquo malo. 3a Quod sit bonum per se sufficiens voluntati, ita nempe ut, beatitudine obtenta, nihil desiderandum remaneat homini; nam secus non esset ultimus finis, seu ultimus terminus desideriorum voluntatis. 4a Quod ex beatitudine habitata non possit homini beato aliquod malum provenire,